



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Amore præsertim eam transformationem effici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

in sese effingit ac repræsentat imitando; postquam in his singulis, veluti totidem viri dolorum membris mysticis, conformandis atque elaborandis plusculum temporis operæq; posuerit, ita ad extremum in semetipso immutari, & quasi reformari poterit, ut felicissimâ metamorphosi in Crucifixi transformetur imaginem, & quidam quasi Christus appareat: juxta quod dicere non dubitavit Origenes: *Quis perfectus est, & vivit in eo Christus, de eo dicitur MARIE: Ecce filius tuus Christus.*

*Prof. in Jo-
an.*

Postremò: Huc accedit denique, quòd ipse Christus, qui, uti insinuabamus, signaculo sive sigillo sese comparat in Canticis, nihil magis expetere videatur, quàm ut totum nobis imprimat; tantùmq; expectet, ut (quod in nobis est) materiam nos aptam atque facilem præbeamus, & sibi nos ritè configurare volenti, desiderio atque amore obsecundemus.

§. 3.

Amore præsertim eam transformationem perficit.

AD extremum addimus; eam vim esse ardentis amoris, & præsertim sancti atque divini, ut amantem transformet in amatum; & (uti modò cum Bonaventura de divinis amore dicebamus) etiam lutum in Deum transfiguret. Nam ut universè pronunciat S. Dionysius: *Amor extaticus est, & amantem extra se rapit, & in amantem transfert; non affert, duntaxat, sive dilecti desiderio, sed etiam, quoad fieri potest, assimilatione quadam indolis, & tanquam immersione ac transfiguratione naturæ.* Quapropter & ipse Dei Unigenitus, quâdam sui erga nos immensi amoris ecstasi, extra se quasi egrediens, nobis similis per omnia factus est, non naturâ tantùm nostrâ susceptâ, sed nostris etiam in se translatis miserijs ac doloribus; adeòq; non unâ duntaxat, sed variâ sui transformatione, aut transfiguratione.

*De div. nom.
c. 4.*

mum enim, cum in forma Dei esset, carnem nostram assumens, in utero quodammodo transfiguratus est: non formam Dei seu figuram substantiae ejus amittens (quo sensu *Mt. 1.* negat Augustinus, in illa ineffabili humanitatis nostrae susceptione, Verbum transfiguratum in hominem) neque rursum tantum externam hominis figuram, aut imaginem, seu *L. 83. 99. 9.* idolum assumens: quo modo dixit Tertullianus, Angelos *h. de carne,* apparentes hominibus, sese in carnem transfigurasse: sed *Christi, c. 6.* veram naturam nostram humanitatis in se susceptam, novam jam formam atque figuram humanis obtutibus obijciens. In quem sensum ait Apostolus: *Philip: 2.* *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu (graecè, schemate seu figurâ) inventus ut homo.*

At neque hac sui abiectione, & tantam suam Majestatis tanquam deformatione contentus, postmodum in passione sua, etiam ab illa humana specie velut transfiguratus apparuit; ut jam non hominis, sed vermiformem habitum praerferret, atque humanam etiam formam quodammodo absconderet, sicut scriptum est: *Isai. 59.* *Et quasi absconditus vultus ejus, & despectus; unde nec reputavimus eum.*

Ut illud proinde, quod Aurelius Prudentius, de Deo limum nostrum tractante atque formante, ut illum transfiguraret in hominem; hoc de ipsa Dei Sapientia, de hoc limo nostro (ut loqui amat S. Augustinus) humilem sibi domum aedificante, usurpare libeat, & exclamare: *Apotheo.* *Tantus amor terrae, tanta adversus hoc lutum, divinae charitatis inclinatio ac propensio fuit.*

Ergo qui amoris ardorisque sui incitatione, per omnia nobis similis effici dignatus est; vicissim exoptat, ut nos quoque amoris impulsu, eumque propius imitandi desiderio, in ipsius primum humilitatem abiectionemve, & inde in gloriam ac majestatem, transeamus. Ut enim concors est
San-

Sanctorum Patrum sententia; idcirco ille homo factus est, ut nos Deos faceret, & luti nostri ignobilitatem, in sua claritate divinitatis transfiguraret.

In hoc igitur nobis exercendus est animus, eò omnia nostra circa Christum passum occupatio convertenda: *In ps. 137.* inspirandūq; cum S. Augustino, ad sui in Deum transformationem ardentibus votis anhelante, atque dicente: *Tuum cor meum flamma tui amoris accendat; nihil in meritorum meo, nec quo respiciam ad me ipsum, sed totus in te, astuem, totus ardeam, totus diligam te, tanquam inflammatus abs te.* Eodēq; specialiter facit quædam S. Bonaventura devotissima (ut ipse appellat) ad Christum oratio; quam juvat ad usum, & præsentis capitis clausulam, totidem verbis apponere: *P. 1. Stim. c. 2.* Domine JESU Christe, cor meum tuis vulneribus faucia, & tuo sanguine inebria mentem meam; ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum; quidquid aspexero, in tuo sanguine mihi appareat rubricatum: ut sic totus in te tendens, nihil præter te valeam invenire, nihil nisi tuum vulnere valeam intueri. Hac mihi consolatio, tecum, mi Domine, vulnerari; hac intima mihi sit afflictio, sub te aliquid non meditari. Non quiescat cor meum, donec JESU, donec resonat te centrum suum. Ibi cubet, ibi suum terminet appetitum. Amen.

CAPVT X.

Felix ac placidus excessus è vita, inter brachia Salvatoris.

§. I.

Nonnullæ ejusce rei causa.

Multis tum vetusti tum recentis avi exemplis comprobatum est; his qui vitam suam passioni ac morti Christi